

**Dissertatio inauguralis de viscido, sanitatis offendiculo ... / praeside
Johanne Ernesto Schapero, ... consequendi summos in arte salutifera
honores Johannes Christophorus Gottvald.**

Contributors

Schaper, Johann Ernst, 1668-1721.
Gottwald, Johann Christoph, active 1695.
Universität Rostock.

Publication/Creation

Rostochii : Typis Joh. Wepplingii, [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ubx2tahk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

35. ~~326~~

^{2. D. B. F.}
DISSERTATIO INAUGURALIS
De

VISCIDO,
SANITATIS
OFFENDICULO.

QVAM
GRATIOSO INCLUTÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
PRÆSIDE

DN. JOHANNES ERNESTO
SCHAPERO,

MED. DOCT. AC PROFESSORE PUBL. ORDINARIO,
ET FACULTATIS MEDICÆ h. t. DECANO MAXIME
SPECTABILI

*FAUTORE SUO AC PROMOTORE STUDIORUM SINGULARITER
COLENDO*

PRO LICENTIA
CONSEQVENDI SUMMOS IN ARTE SALUTIFERA
HONORES

JOHANNES CHRISTOPHORUS
WETZBACH/ GEDANENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS
D. XI. APRILIS ANNI MDCXCV.
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI PROPONET.

DISSEMINATING LAMENALIS

VI 18 OLD

2411 ATIS

OF ENDOCRIN

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

THE LAMENALIS

ET FACTI

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

PRO LAMENALIS

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

FRANCIS J. LAMENALIS, M.D., F.R.C.S.

PROOEMIUM.



Dissensus consensu major! Ut in plurimis
 sic in omnibus verissimum esse effatum di-
 sciplinis, dicerem, nec fallor. Medicinam
 dum præ cæteris considero, à primo ejus
 ortu per omnia ferè secula mutatam quis
 ignorat? Et ad hæc usque tempora malum
 hoc nondum resarcitum esse, quis inficiabi-
 tur? sed quid Consilii? En! Pathologiam
 lugentem præterquam quod Humoristarum
 Galeno duce temporibus summos sustule-
 rit cruciatus, iis nondum liberatam, suos
 adhuc pati manes, constat; quid jam
 consilii? Succurrite Medici, Philosophiæ qui estis corpusculari addicti,
 date remedia; mora nulla, per hanc cum in abditas rerum inquirere cau-
 sas licitum sit, sequamini altiori occupatum indagine Bontekoe in *Oecono-*
mia animali duas generales omnium morborum causas, Acidum scilicet
 & Viscidum statuentem; sit mora! Sunt Neotericorum multi, sententiam
 quidem hanc amplectentes, sunt plurimi eandem etiam respuentes, dissen-
 sus consensu major! Ast alternis dum mens agitur opinionibus, bonis
 avibus, Excellentissimus Fridericus Hoffmannus utramque lavare manum, in
 Exercitatione *Acroamatica de Insufficiencia Acidi & Viscidi pro stabilien-*
dis omnium morborum causis, studet. Sed ne ultra limites divagemur
 mittimus hanc controversiam, judicium quoque nostrum suspendentes,
 Lectorem v. studii hujus capidum ad ipsum remittimus Auctorem, qui, cum
 partibus in universali satisfecerit, in particulari nobiscum etiam con-
 sentit; *Viscidum*, inquit, *multorum morborum fomitem & mineram exis-*
tere, loco cit. cap. 2. Qui locus cum magni in Medicinâ usus sit, occasionem
 quoque Dissertationem exinde inauguralem construendi, suppeditavit.
 Titulus erit: *Viscidum Sanitatis Offendiculum*; Tu verò, Lector, quacunque
 meritorum laude dicendus sis, benigniori vultu meum qualemcunq; adspicere
 conatum, ac censorem æquum & interpretem bonum te gerere non dedigne-
 ris. Gloria Soli sit Deo, Cujus auspiciis feliciter omnia cedant!

§. 1.



Viscidum quid sit, & unde derivari debeat, neminem puto ignorare, supervacaneum itaq; foret, diutius in Etymologia ejus immorari, nec è re est homonymicè demonstrare, utrum mucilago potius vel gummosum, vel gluten vel Gelatina dici debeat: Ut tamen auctoritatem Divi veneremur Stagyritæ, qui voces dicit esse significantes ex instituto, lib. de Interpret. c. 1.; & Galeno etiam satisfiat, conturbatum, inq̃uienti, *nominum usum & rerum ipsarum cognitionem conturbare*; non turbabimus totum hocce nostrum institutum; salva potius Veterum manente auctoritate, dicimus: Viscidum græcis *γλίσχεον* dictum, materiam esse tenacem, lubricam & lentam, prout magis vel minus inspissatur, in coagulum concreescens excessu semper, defectu nunquam peccans. Est enim aut per firmiorem aut per laxiorem consistentiæ modum distinctum, mox glutinosum maxime, mox aq̃volum nimis existens, aut etiam medio modo se habens, ad hanc vel illam propius consistentiam accedens.

§. 2.

Altera Viscidi facies in Definitione detegitur reali, qua cum omnes homonymicæ simul & æquivocæ exploduntur. Viscidum quippe in statu hominis præternaturali sub schemate miasmatis aut inq̃uamenti pravi, describitur, quod sit: *Sordes pituitosa & maxime tenax, partes artius habens connexas, in corpore humano præternaturaliter existens*. Per Genus, seu sordem, omnem illam immunditiem tenacem, crassam, pituitosam, glutinosam & inspissatam protinus, particulis resistentem activis, intelligo, quæ Corpus humanum, sanguinem præprimis, ut delicatissimam rosam animale, tincturam corallinam è mente Excellentissimi Viri Præceptoris & post cineres Venerandi Dni. D. Majoris, *Dissert. de Sanguine Peridromo* §. 1. delineum, variè afficit, summasq; inducens ærumnas, mixturam & concentum turbat decentem ac molitur exitium; sed de his in sequentibus plura.

§. 3.

Mixtorum ratio si haberi debeat, sub Anatomen vocantur

tur, non per cultrum, sed per ignem, & quod oculorum acies, radiis solis purissimis, igne scilicet elementari munita, explicare nequit, impurior quamvis, concentratus tamen & in pabulo suo sustentatus ignis arte chymica examinat. Constat itaque omne mixtum particulis indefinitæ figuræ, magnitudinis, motus, situs & superficiei, harum verò harmonicā simul compositione, texturā & temperamento; quod si jam Viscidum etiam sit mixtum, nemine contradicente, tutissimè concludere licebit, id ipsum è particulis harum conflatum esse differentiarum; Quæ qua ratione indigitari debeant, Philosophia docet corpuscularis, Quaternionem suppeditando, dum terrestres aliæ, aliæ aqueæ, salinæ denique aliæ & sulphureæ sunt, singulæ seorsim ad methodum examinandæ præscriptam.

§. 4.

De terrestrium itaque particularum præsentia cum mens dubia adhuc relinquatur, & ad unum omnes ferè ob exilitatem, quā constitutæ sensum fugiant, nec in oculos incurrant, oculorum acie ignisque vi opus esse, quo dubium veritate eludatur, censeo. Corpora autem esse, & afficere corporis organa, determinatas quoque habere figuras magnitudinesque, vel sola viscidæ textura, irregularis & inæqualis figuræ particulis quatenus conflata est, detegit, observante Renato des Cartes *Meteor. c. 1. §. 3.* Quæ licet oculis non promptè conspiciantur liberis, munitis tamen felicius deteguntur. Analytica in primis si accedat methodus & destillationi subjiciatur viscidum, magnas bullas & ægerrimè particularum fieri separationem notabimus, quod particulas terrestres irregulares admodum & inæquales habentes figuras in eo esse sufficienter indicat, quæ ob implicatam & mutuam coherentiā, licet moveri & separari igne videantur, contumaces tamen resistunt, imo protrusis igne aqueis & subtilioribus firmiter junguntur mutuò nectuntur & corpus maximè spissum ac solidum constituunt; hinc ortum esse inter Chymicos autumo, experientia approbatum, verum axioma: *Viscida pulposa, glutinosa malè destillantur.* Adhucne dubium, terrestres in viscido existere particulas, & quidem in copia? non obstat pelluciditas; annè enim vitrum ex terreis maximè conflatum, sive arenam, sive cineres consideres, omnibus corporibus pelluciditate majus? ipsa quoque Therebinthina Cyprea ad ad-

Spectum licet purissima, colore candido, subflavo, vitreo, odore grato & suavi, sapore acri & amaricante, (*Sam. Dale Pharmacol.*) præter oleum subtile & limpidum, quod destillatio aquæ vehiculo præbet, relinquit residuum, particulis plurimis diversæ magnitudinis terrestribus conspicuum, nec sanguini nec viscido denegandis, unde Excellentissimus Bohnius in seroso sanguinis lactice glutinosum sedimentum observavit. *Circul. Anatom. Progym. 13.*

§. 5.

De aqueis viscido immixtis particulis, non est quod dubitemus. Corpora cæteroquin siccissima & magis spissa aliqualem tamen aquæ seu particularum flexibilium, lævium ac lubricarum admissionem præsupponunt; quidni igitur viscidum etiam, spissum maximè licet concipiatur, aquæ etiam seu particularum flexibilium lævium ac lubricarum admissionem haberet. Poros tantum consideres, ad quorum hiatum si corpora transgressura respondere, res est in aprico. Sed certum est, in vitro, corpore alias poros habente constrictissimos, prout vel sola ejus conflatio per vehementissimum probat ignem, aquam transsudare, ex observatione Dni Hydden, quam ex Borrichio magnus allegat Polyhistor, Morhofius *Epist. de Scypha Vitreo cap. 3. p. m. 47.* globulos tenuissimos, vitreos scilicet aquam communem infusam penetrasse, monens. Quemadmodum & eodem libro p. m. 48. ex auctore quodam innominato Anglico idem Morhofius vitro exceptum grandinem, cum in aquâ solveretur, magnâ sui parte exsudasse refert. Si hoc fit in solido, quid fiet in fluido? & posito, Viscidum etiam esse spissum magis, ad soliditatem proximum habens gradum, parium par erit ratio; Ast in hoc patientiores adhuc esse poros, unanimis Philosophorum est sensus, aquarum particulis longis, lubricis & lævibus, angillarum instar parvularum figuratis, (vid. *Cartesius Meteor. cap. 1. §. 3. p. m. 154.*) facile cedentes, quos transitum adeo faciliorem admittere, consequentia docebit. Nec obstat veritati, Viscidum licet in humano corpore penè exsiccatum cum duritie non levi concipiatur, (vitrum adhuc excedente, quod minus videtur possibile,) nihilominus tamen aquam admixtam volo; si non probandi, nec inepta argumentandi erit ratio, à sanguinis scilicet fibrosi, sollicitè ab
omni

omni fluido liberati vel exsiccati anatome, si Experimentum fiat: Ex massæ enim sanguinis residuæ unciiis quatuor effuso omni sollicitè fluido ad siccitatem destillatis, liquoris aquei & lymphiditres uncias grana tria & quinquaginta obtinuit Boyle; vid. *Hist. Sang. hum. part. 3. pag. 22.* Aut si mavis sanguinis exsiccati anatomen, an aqueas is supeditaverit particulas, a Boyleo institutum experimentum rem declarabit; ex hujus quippe unciiis viginti & quatuor modicum prodiit phlegma, quod post sublimationem ad drachmas duas & quinque circiter grana collectum fuit, v. *Hist. Sang. hum. par. 2. ad Tit. 24. pag. m. 20.* de cujus præsentia, cum antea sensum fugerat, meritò dubitabatur; ut taceam Boylei testimonio quoque è sanguine eodem prodiisse spiritum, qui cum humidus, humiditatem autem remotà servare aquâ nequiverit, sed salis induerit formam, sequitur, spiritum quoque de præsentia aquæ in corpore, è quo hic extrahebatur, testari. Quod si jam dicta Viscido è sanguine producto humori applicentur, & proportio minoris ad majus observetur, res, quæ modo erat dubia, omni veritate major erit.

§. 6.

Præmissa itaq; terrestrium & aquosarum declaratione, salinarum quoque particularum in Viscido existentium eadem indagabimus methodo. Ante omnia autem præmonemus, per salia hic non volatilia, sed fixa intelligenda esse. Illorum enim *εἰσπρα* non in incrassatione seu inspissatione sed in resolutione consistit, ita, ut serum sanguinis etiam ab admisto spiritu salis ammoniaci fluidum redditum observaverit Boyle, *Hist. Sang. hum. part. 3. exp. 6. pag. m. 23.* Horum autem contraria est ratio, quod idem auctor per aliud explicat experimentum, cum fixo alcalisatò sale, oleo tartari per deliquium, idem ferè ac à spiritu salis in sero factum esse coagulum *cit. loc. exp. 7 pag. m. 24.* narrans. Et per magni Philosophi auctoritatem quæ *primaria*, inquit *salium qualitas est, maxime fixa esse*, hoc est non facile in vapores soluta attolli, *Meteor. cap. 3. §. 6.* confirmans. Unde facile licet conjicere, in texturâ Viscidi accuratius inspecta, tale quid reperiri, quod tenacitatem & soliditatem, adeoque combinationem promoveat, & hoc est sal, ad mentem Excellent. Bohnii *Medit. d. Aeris in sublimaria influxu Dissert. 11. §. 24. 25.* Quod si jam illud ipsum acidum magis sit, particulae alias oblongæ & acuminatæ inter se magis conjunguntur, quadra-

quadratam & cubicam figuram constituentes; Wolff. Senguerd. *Pb Nat. part. I. cap. 20*; & majori condensandi & coagulandi vi pollent, exemplo aceti sero lactis affusi & præter hoc innumeris aliis. Ipsa fragilitas corporum quæ non nisi in arctiori particularum cohæsi-
one, adeoque pororum firmiori constrictione consistit, de salium testatur præsentia; admistionem salinarum particularum fragilem corpori inducere naturam Morhofius *de scyp. Vit. c. 2. §. 3.* habet, & in §. §. dum à sale vitri fragilitatem deducit, confirmat. Jam si eandem, quam in antecedenti paragrapho ratione pororum comparisonem inter majus & minus, concludendo à majori ad minus, instituere debeamus, quod jure fieri potest, de dubio veritas triumphabit. Extremo adhuc digito eastangam probationes, quas chymica nobis analysis per ignem dat: Lectorem ad ea experimenta remittendo, quæ laboratorii Præsidibus ob quotidianam quam exercent enchei-
resin, communia sunt, sive per incinerationem è vegetabilium sat te-
nacibus corporibus, sive è calcinatione exemplo tartari, corallorum &c: sive etiam per destillationem è retorta, exemplo salis succini, it. cornu cervi, gradu ab aliis differentium, quod sulphuri exaltato subtili juncta sint, experta habere velis.

§. 7.

Sulphureas denique Viscidi particulas quod attinet, non nego à terrestribus, æquè ac aqvosas eas subjugari. Si verò, quod monendum cenſeo, sulphur & sal volatile in animalibus conveni-
re, consideremus, quatenus sc. è sanguine humano inspissato & condensato spiritus volatilis urinosus lege artis extrahatur, nullum restat dubium, quin absolute dicamus; in sanguine etiam con-
grumato & inspissato sulphureas esse particulas. Et quid Viscidum aliud est, si ea, quæ nobis, tractetur ratione? Serum est sanguinis coa-
gulatum, particulas activas & purissimas è materiæ primi & secundi elementi secundum Cartesium conflatas seu sulphureas abscondi-
tas tenens, ita, ut manifestare se minus queant, quam libenter eti-
am hæc suis se liberare vinculis velint, sed intra receptacula viscida-
rum, ut salia alias urinosa omnia, inclusa manere coguntur; Ergo nudum quoque oculorum adspectum fugiunt, usque dum arte chy-
micâ difficili quamvis negotio compedibus exsolutæ suis, vel sub
schemate spiritus, vel salis volatilis prodire possint. Exemplo sit
qua

Aqua, cui Cornu Cervi crudum injectum est, in gelatinam concre-
scens; si igne urgeatur, magnam salis volatilis copiam largitur;
Quidni Viscido idem etiam adtribuendum, è fluido maximè hetero-
geneo cum natales habeat, heterogeneos etiam ut humores spiret,
qui, si cum fátore graveolenti nares feriant, sulphuris præsentiam
annotant, non aliam ob causam, quam quod particula activæ, no-
bis sulphuræ dictæ, ad motum concitata, sui deflagrationem urgen-
tes, particulas etiam terrestres & aquosas elevent, ad nasum vero
delatæ, nervos vellicent, sensumque pro diversitate partium hetero-
genearum afficiant; vid. D. Majoris Dissertat. de *Spiritibus*; Senguer-
dus etiam in *Philos. natur.* & Physici alii, Corpusculari addicti Philoso-
phiæ. Denique si præter Sulphur summe subtile, non nisi ignis vi,
reaseratis è carceribus claustris eruendum, fixum etiam aliquod videre
desideres, Phosphorum ex Urina paratum humana adspice, in cujus
Schemate Viscidum, particulis nonnullis sulphureis quidem abundans
à terrestribus vero subjugatis, cernes.

§. 8.

Ex hīs itaque recensitis & secundum figuram, magnitudinem
& motum explicatis, omnem in genere viscidiorum humorum im-
munditiem humano in corpore conflare, certò credimus. Neque
quod in statu etiam hominis naturali Saliva, Liqvor gastricus, Succus
Pancreaticus, Bilis, Pituita intestinalis, & alii humores Lubrici, mucosi
& lenti, (qui è sanguinis Latice seroso secreti vel in manifestam ali-
quam cavitatem se se effundunt, res irrigant firmiores, viasque pro
faciliori contentorum transitu lubricant; vel sanguini admixti,
digestioni & Distributioni Chyli inserviunt;) reperiantur, argu-
mento est, ideo viscidum in Corpore humano non posse peccare?
falsa enim est hæc argumentatio. Sanè, non particularum varie fi-
guratarum præsentia solum, sed earundem quoque mixtura & con-
nexio consideranda est; in quem finem audiamus Par Virorum Eru-
ditissimorum, è quorum verbis differentiam Viscidi, in utroque statu,
tum naturalis, tum præternaturali considerati, deprehendere licebit.
Primus est sæpius laudatus Hoffmannus, *Dissert. De Insufficiencia Acidi & Vif-
cidi &c. cap. 6. Si decens, inquit, est harmonia, & concentus harum particularum
mixtura in idem & temperies, ut nullum adsit prædominium, tunc Corpus sa-*

est & vegetum. Quod si autem contingit, ut v.g. æthereæ, oleosæ, salinæ & Spirituose subjungantur, dominium nanciſcentibus terreſtribus, viſcidis, fixioribus, acidis, obſtructiones Viſcerum, & varii morbi chronici generantur; & vice verſa, ſi acres volatiles, ſalinæ, ex velamine & cartere ramosarum ac ſeroſarum emancipate exiſtunt, morbi acuti & varia ſyſtematis nervoſi Paſſiones ſuboriuntur. Quæ ultima periodi verba utut propriè non pertineant ad nos, legi tamen merentur. Alterum Clar. Majoris, ſempiternæ memoriæ Viri aſſertum eſt, de Viſcido, ratione Spirituum offendiculo, eundem, quem prius, ſcopum feriens, in *Differat. de Ærumnis Gigantum in negotio Sanitatis cap. 1. §. 19.* Sicut dicit, Spiritus vel Gigantes, nil aliud, quam fluores ad motum proclives quam maximè, qui potenter indies ab Athmoſphæra luminibus, & interno calore partium incitati, ad ſui deſtinationem tendunt perpetim; ſed impedimenta aut diverticula moroſa multiplicia undiquaq; invenientes in nobis, dura, mollia, lenia, ſequacia, Terreæ, aqueæ, oleoſæ, gummoſæ, aut ſimilia alia, in nativo ſuo ad ſolem obſequio turbantur continuo, ut impingant hinc inde, & ultro citroq; inſtar radiorum aut Pile luſoriæ in angulos diverſæ divaricationis acti identidem, novis ſemper atq; novis irritamentis deſtinentur, perpetuos agant elabendi cuniculos, & ad Ærumnas tot devoluti, Hylænoſtram ſupra quam dici poteſt, mirè exagitant. Huc uſque Magnus nobis Major locutus eſt, unde facilis jam erit collectio, ſummas & maximas corporis turbationes à motu particularum ſubtiliſſimarum agibilium impedito, oriri; jam ſi ulterius quæras: quid illud ſit quod motum hunc inhibeat? in promptu erit reſponſio: Viſcidum! in hoc enim terreſtres particulæ ſalinæ & aqueæ prædominium habent; ſi jam in Terreas & duras, aqueas gummoſas & lentas, ſalinas & rigidas Spiritus impingant, moroſæ reſiſtunt, vel etiam eoſdem excipiunt, velaminibus ramiſis ac ſeroſis obvolvunt, ita ut jugiter ſubjecti ad ſolis obſequium moveri nec antrorſum nec retrorſum queant. Et hæc eſt Viſcidi ἐνεργεία, utcunq; in ſanguine humano ſecundum qualitates explicata, quæ tanquam fons plurimis ſcatet malis, in Explanatione cauſarum poſtmodum delegendis.

§. 9.

Poſitis jam in quovis mixto certis diverſæ figuræ, magnitudinis, motus

motus & situs particulis, ad dispositionem, texturam & combinationem habito quoque respectu, quid de Quaternione Veterum, Humoristarum, ut Helmontius vocat, Galenicorum scilicet humoribus, sentiendam, cuilibet patebit. Habemus & nos Quaternionem, particulas nimirum terrestres, aëreas, salinas & sulphureas in uno Mixto, Viscido, conspicuas, unam tantum causam, (variorum tamen & multorum Morborum fomitem) sed longè diversam à Veterum humoribus, præprimis si consideres in sano æquè ac morbo corpore eosdem à Veteribus fuisse concessos, adeoque propria quadam culpa Veteres sibi multiplicasse Erumnas. Sed habeant & hi suas sibi querelas, nos omnem humorem Melancholicum, pituitosum & Cholericum è Corpore in statu naturali constituto eliminamus, & si aliquid adhuc considerationis mereatur, locum suum in statu sumat præternaturali, ibi fortè in Viscidi nostri amplexus ruens, mutuâ ejus opera, sanguinis mixtionem turbare, & ad deteriorem statum disponere poterit, ut exinde homo vel fiat Melancholicus, vel Phlegmaticus, vel cholericus, veletiam Sanguineus. Sanguis enim quantitate & qualitate peccans, quod tamen quoad prius rarum quid, molestiam creat subjecto, quod quale sit, jam tractabimus.

§. 10.

Cum magni itaque intersit, ut, de Viscido tanquam causa morifica, (quo titulo illud meritò insignitur, quia sanitati offendiculo est,) tractantes, ad partem etiam affectam attendamus, eam scilicet, in qua minera hæc defixa tenetur; Uni verò causæ non unus tamen sit locus, in Corpore autem humano, quod *Contextus vasculosus, variæ generis succos in se continens* Excellentissimo Waldschmidio *Instit. Medicar. lib. 1. c. 5.* dicitur, existere eadem debeat, necesse est ut in partes hujus inquiramus, quæ secundum vulgarem & à Plurimis Anatomicorum receptam sententiam, in *solidas & fluidas, Continentes & Concretas* dividuntur. Ad primam Divisionem Ventriculum cum Oesophago versus fauces in Longitudinem protenso & intestinis versus anum elongatis, in gyros seu anfractus diversimode contortis & mesenterio connexis, non exclusâ etiam Trachea è cartilaginea partim & carnea substantia, binis vestita membranis, in duos ramos circa ingressum in Pulmonum lobos divaricata, fistulæ instar fabrefacta;

Cavitates item, Cerebri scilicet per Ventrículos quatuor, duos priores sibi invicem oppositos, si Cerebrum in duo separet Hemisphæria ampliores & longiores reliquis duobus, & è Mente Th. Bartholini Lunæ falcata non immerito assimilandos, cum plexu choroideo glandulis plurimis adornato, conspicuos: cæteris paribus, minoribus tamen, quorum alter, posterior scilicet, Cerebello adscribitur, demonstrandas; Nasæ etiam interiorem Cavitatem & Aurium in Os usque petrosum excavatam; ut taceam Viscerum adhuc aliorum, Renum videlicet, Vesicæ Urinariæ cum Ureteribus, scroti &c. referimus. Huc quoque spectant Vasa omnis generis, languifera, Chylifera, Lymphatica, spermatica, funiculi nervei, ligamenta & quocunque modo appellentur suis membranulis & glandulis iisdem intertextis constantia in texturam firmiorem consolidata. Altera divisio succos omnes & Liquores in toto Corpore Circulationi obsequentes, (seu sanguinem, seu Chylum, seu sperma, seu Lympham seu etiam humores excrementitios omnes intelligere velis, rectè senties; cum nullus sit excludendus,) complectitur. Quantumvis autem partes modò recensitæ diversimodè inter se differre videantur, ex his tamen, fluidis scilicet, solidas construi, & quotidiè etiam nutriri constat, & quod magis mutuum quasi inter utrasque est vinculum, ita ut aliæ aliarum veluti auscultent querelas, hæcque dum afficiuntur, & illæ sentiant, ac vice versa. Sed satis de his; non ignorabis jam, quicumque hæc leges, quid sit subjectum Viscidi; Utrumque, & Denominationis & inhæSIONis, quâ potuit fieri, brevitate, ostendimus, sed cum Anatomica hæc sint, & plurimorum Calamis notata, facile excusabimur, si fortè ad unius cujusque beneplacitum fusius non fuerint explicata, veremur enim ne Plagium à nobis committeretur Eruditum; unde Malevoli ansam reprehensionis captarent.

§. II.

Diximus in Paragrapho Octavo, Corporis Mixti è particulis diversæ figuræ, Magnitudinis, motus, & situs conflati, pro dispositione, modificatione & certis terminis, quibus Textura ejusdem describi solet, soliditatem & laxitatem temperari, ita, ut vel spissius vel mollius existat; nondum tamen sic Viscidi nostri omne absolvitur punctum; scimus equidem materiale, cujus formalis ratio nobis

nobis consistit in receptione formæ cœunitæ vel constitutionis totius subjectivæ, neutiq̃am vero adhuc formale, quod veram & realem actionem, quæ materiam ad hunc vel illum disponat statum, requirit; quæ igitur illud sit, audiamus, ut deinde ad qualitates Viscidi noxias descendere liceat, & ostendi possit, quâ ratione illud ipsum sanitati sit offendiculum, ubi primo quidem Causam Proximam sive internam, secundò autem remotam, juxta Celeberrimum Sylvium *Præcos* lib. 1. ubi de Pituita, (quæ tamen ferè nihil aliud est, quam Viscidum nostrum, tractat,) illâ facile majorem, perpendemus.

§. 12.

Causa proxima illa erit dicenda, quæ turbatam sanguinis mixtionem internè inducere potest; sulphureæ enim particule dum nimium exaltantur, deflagrant, & crassiores post se in sanguine humano relinquunt particulas, si subjugentur, de majori in sanguine copia terrestrium & rigidarum testantur particularum, & eundem sortiuntur effectum, sanguinis nimirum cras in turbandi. Alter modus motum, alter quietem indigitat, sed cum hæ Affectiones ad res non-naturales, adeoque ad causam remotam spectent, illas etiam prætermitemus, attendentes potius modum, quo vel per se, vel per aliud excitari possint. Per se ex abundantia particularum contra mixtionis legem id accidit; si enim Terra & sal prædominium habeant, febres generantur. Quartana, ad mentem Willisii *de Febr. cap. 5. p. m. 100.* Diaria s. Ephemera juxta Sylvium *Prax. l. 1. cap. 28. §. 34.* & aliæ; si sal eminentiori gradu adsit, varii oriuntur affectus scorbutici, Morbi Endemii scilicet, ut Lues Hungarica & Purpura; Scabies itidem, Lepra, Psora, Elephantiasis, Lichen sive Serpigo & quocunque veniant nomine scorbutici affectus alii, gradu saltem inter se differentes, prout salinæ & terrestres particule sanguinis poros plus vel minus occupant, ætheri accessum denegant, adeoque sanguinem sensim incrassant, qui à Spiritibus impingentibus si urgeatur, transmittit per poros continentium materiâ sui generis, in superficie corporis per variæ figuræ & coloris maculas, Lentigines, pustulas, Exanthemata (sub quorum nomine certo respectu omnes Morbi Exanthematici è Viscido oriundi veniunt;) & adeum jam statum pervenerit, ut Tuberculæ in superficie Cutis externæ conspiciantur, per Ecchymata etiam & Phymata

quævis efflorescentem. In Caseolum & Tartareum Coagulum sanguis concrefcere potest, si deficient particulæ activæ vi resolvendi pollentes; inter salinas enim Terreas & aquofas opus perficitur; Terra præbet materiam, Aquaglutinat, Sal combinat & inspissat. Si verò humidarum particularum copia nimia adsit, ad Caloris supervenientis obsequium facile exhalatur, Unde Calculi Renum, & Vesicæ Lapidescens substantiæ; ad tactum vero cedunt magis Struma s. Bronchocele, cujus Vitium in glandulis reperitur, hinc affinitatem cum illa aliqualem habent, Atheroma, Steatoma & Meliceris; Scyrrhosi Tumores etiam quivis, Tophi, Oedemata & alii sive in glandulis, sive in canaliculis hæmatogogis Cl. Majori dictis & Lymphaticis concreti, sive furfuracei, asperi & Squamosi sint, quorum quidam ratione sitæ nominatur, ex. gr. ficus Ani, Abscessus hypochondrii, Capitis &c. Acrochordon & Thymion quoque modo in hac modo in illa Corporis parte conspicua ad hanc deferuntur Causam. *Nervi non raro pituoso lentog; humore obsidentur, unde partis stupor & quandoq; immobilitas*, sunt verba Barbetti in *Chirurg. pract. p. m. 347*. Si terrestrium ramosarum & Salinarum particularum perdominantium copia adsit, soporosos affectus, Apoplexiam, Paralyfin, Catalepsin, Incubum, Lethargum, Tetanon & hujus generis alios produci, ita, ut Ægroti vel sint Scorbutici, vel Jeterici, vel Paralytici, constat.

§. 13.

Si vero Acidum subsit, è quocunq; etiam fonte petatur, per particulas ejus acuminatas, adeoq; scindentes, Vincula Sanguinis harmonicè mixti solvuntur, subtilioribus & volatilibus viæ redduntur patulæ, ut avolent, fixiores vero partes residuæ manent, sanguinem turgescens faciant ut stagnent: unde fit Hypochondriacus ut surgat & decumbat Cachecticus; si sui manet juris acidū Arthritidem & cum illa Podagram, Chiragram Gonogram plurimosq; morbos convulsivos & Spasmos summo cum dolore & Cruciatu generat; nervos enim illud ipsum vellicat, ut modo contrectentur, modo relaxentur, & motu hoc vorticoso turbidoqve, omnium humorum in toto Corpore fluxus retardetur, unde ex utraque causa, stagnatio, fixatio & per consequens Viscidi generatio. Ex eodem fonte Variæ etiam Hydropidis species; Ascitis, Leucophlegmatia, Anasarca &c. oriuntur.

oriuntur. Ischuria, Istranguria etiam suos inde habent natales, si vero ad glandulas usque protendatur, Obstructiones variae, imo inflammationes exsurgunt, praecipuis, si Salmagis austerum in iis existat; ob concursum enim huius cum terrestribus continua est lucta, haec ad illius obsequium motae saepius impingendo in superficiale Texturam solidi Telorum jactus instar per crebriores resolutas fibras dirumpunt, cui facto si mora accedat, acor major contrahitur, qui quacumque in parte etiam sit, calorem intensissimum cum acuto dolore & inflammatione subsequente urget, ut glandulae ac Vascula exulcerentur, materia colligitur, quae in Tumorem concrevit; Phlogosis adest, Panaritium, furunculus, Hordeolum, & quocumque modo nominentur Tumores, conspiciuntur; qui secundum partem affectam nuncupati sunt in Meningibus Phrenitis, in Oculis Ophthalmia, ad quam etiam Pannus, Nubeculae Oculorum, Gutta serena & roseocea spectant. in Auribus Parotis, quam interdum insequuntur Obauditio, Tinnitus & surditas, in faucibus Angina, in pleura pleuritis; in pulmonibus peripneumonia; in renibus Nephritis, & plures in Phthisicis & Hecticis, Lue item Venerea. & aliis affectibus ex hoc sale austero & acrimoniis oriundis, laborantibus reperiuntur. Denique Omnes illi morbi Chronici, Conformationis & Compositionis in Viscido radices egerunt, e quo tanquam Matrice tum Particularum contra Mixti concentum abundantia, tum Acidi insultus in illud, varias & innumeras ferè producant ærumnas, nisi fortè aliquis per symptomata à Morbo ipso aliquid diversum intelligere velit, sed mihi Judicium Excell. Pauli Ammanni in *Consilio de Institutionum Medicarum emendatione Lib. 2. Parte I. cap. 1.* placet, Quærentis: *Cur enim Morbus non sit symptoma, & vice versa?*

§. 14. A proximis ad remotas itur causas ubi primo se offerunt, quæ naturaliter Corpus humanum vitiatum arguant, ut in eo Viscidum generari possit, ex gr. si quis cum quærelis in lucem edatur, quod non rarò contingit. Ita Infantem Ictericum à nativitate, Hagendornius *Obs. Med. Physic. Cent. 3. Hist. 57.* notavit, & simile Exemplum Ephemer. Germ. An. 4. Dec. 2. obs. 16. habent, & eadem An. 5. Dec. 2. obs. 44. Infantem Quartana in Utero Materno laborantem sistunt, Plura etiam in Observationibus Variorum leguntur; instar omnium fere curiosum est illud de Pueri squamæ ac veluti Phocæ pelle contexto in plurimis

plurimis Germaniæ locis publico conspectui exposito exemplum, singulare Viscidi in sanguine effectus testimonium. vid. Stalpart vander Wiel *Observ. Rarior. part. post. Hist.* 35. Unde liquet à primis quasi incubulis morbis homines jam esse obnoxios, crescunt etiam cum ætate non raro, si dispositio pororum pro fovendo hoc inquinamento adsit; de quibus Gibberosii, & Strumosi nos reddunt certos, Senectus vero cum adrepit, cum divo sene Hippocrate dicere licet: senectus ipsa morbus est.

§. 15.

Sequuntur jam res sex non-naturales, causis remotis associandæ, inter quas Aer primum quasi occupat locum. Hic duplici ratione in Sanguinem noxam inducere potest, sive enim ab æthere nimium exagitatus, sive impurior particulis variis heterogeneis inquinatus existat, utroque modo sanguini offendiculum parit. Ubi enim Particulæ illæ balsamicæ, subtiles & summe volatiles præter modum exaltantur, sanguinem incallescendo exarescunt, moram si habeant, Acescentiam, & ex hac Visciditatem causantur. Sin minus moveantur, & à Crassioribus Terrestribus & aquosis statim supprimantur, ad flammulam Corallini nostri liquoris vitalem sufflaminandam aptæ evadunt; hinc respiratio difficilis & Asthma, sequuntur Anxietas præcordialis, Syncope & catarrhus suffocativus; præter quos affectus, si salino acriores particulæ in aëre sint; plures catarrchi cum Tussi molestâ, Coryza, raucedo, Hispiditas & alia symptomata graviora, floridam sanguinis crasin turbantia, nascuntur.

§. 16.

Cibus & Potus uterque ad viscidam generandum aptus, & quantitate & qualitate peccant; quantitas ventriculum gravat & fermentale principium obtundit; ut tota moles in vappam concreascit mucosam, & obstructions pareat; hinc Chylus nullus præparatur, & Corpori nutrimentum denegatur. Quod unctuosum itaque Congelamen ad Vias primas ubique depositum, Anorexiam facile, Passiones colicas & Cæliacas, Tenesnum, flatus, cum his simul Nauseam & fastidium producit. Augetur malum per Alimenta qualitate peccantia, si nimirum crassa, mucosa, pituitosa & acescentia sint, quæ difficile concoquuntur, aut chylum minus laudabilem dant, inter

inter quæ Oleracea, fructus Horarii & Plantæ omnes aquosæ nimis, Pisces itidem, lentum & pituitosum liqvozem sudantes, ut sunt Anguilla, Tinca & Raja, (vid. Excell. Pechlinus de *Aeris & Alimenti defectu* cap. 4.) Testacea, Cochleæ & Ostreae, recensentur; quibus accedit porus, non probè defæcatus, aut acore inquinatus, acidus & salsus, unde à Celeberr. Boyle *Obs. de Salsed. Maris* cap. 2. §. 2. notatur, quod è potu Aquæ marinæ homines scorbutici facti sint. Ordinariè verò fæces intra Viscera cum morâ longiori decumbentes, acorem per se contrahunt, qui in viscidum agens, distendendo quasi per bullulas, in Experimento Aceti cum lacte facti, conspicuas, id ipsum inflat, ut Cavitas, in qua hæret, mole repleatur, ructus ascendant, Vomitus aliæque molestiæ procreentur.

§. 17.

Somnus & Vigiliæ nocent. Ratione prioris Spirituum quies erit accusanda, hac enim motus sanguinis retardatur, lentior inducitur, præprimis si jam vestigia quædam pro Viscidi generatione adsint; somnolentia etiam intenditur, dum à copia Viscidi Spiritus magis magisque supprimuntur. Cum itaque hic quoad motum in defectu peccet, illæ è contra in excessu cruciant, Effervescentiam in sanguine promovent, ut sulphurææ exacerbentur particule, & post sui deflagrationem vappam viscidam & inspissatâ relinquant. Motus & Quies, cum ad ejusdem mali generationem æque ac somnus & Vigiliæ concurrant, effectu etiam parum aut nihil inter se differant, (nisi quod circa quietem sedulitatem nimiam in studiis Medici ut plurimum dissuadeant;) merito & has cum illis in uno conjungim⁹ paragrapho passionēs.

§. 18.

Excreta & retenta ipsius quoque Viscidi semina sunt; quando enim Excernenda retinentur & retinenda excernuntur, proh! quantæ Oeconomix animali excitantur turbæ. Si nobiliores particule sulphurææ balsamicæ, & ad harmonicam sanguinis mixturam necessariæ quæ data via, sicut circa sudores colliqvativos, Diabæten, Hemorrhagias aliosque affectus observare licet, effundantur, scoriæ & excrementum viscidum residuum erunt; si retineantur, verbi gratia in Alvi adstrictione, Tenesmo, passione Cæliaca, Mensium suppressione, (unde etiam passionēs hystericae seu suffocatio Uterica oriri possunt)

sunt,) Cepheale & aliis morbis quæ sint excernenda, idem effectus erit expectandus, qui de Viscidi ubique præsentia testabitur.

§. 19.

Denique Passiones Animæ sese offerunt, ad quarum obsequium Spirituum motus vel augetur & rapidius circumagitur, vel minuitur & debilitatur; ad hunc Mæror & Tristitia, ad illum Ira & Terror accedit. Duplex iterum hic occurrit modus, quo rubicunda ac purpurea nostra Tinctura in fuscum & spissum degenerare Extractum potis est, uterque in motu fundatus. Per mœrorem & tristitiam ab actionibus animalibus maximam partem Spiritus avocantur, nulla fit ad legem naturæ Chylificatio nec sanguificatio, unde nec Spirituum generatio, in quibus tamen tota ferè sanguinis consistit rarefactio, qui, si debilitentur, non verò augeantur, decrescit Vigor, fluida in Vappam abeunt. His opponi possent Ira & Terror, si causa è primo urgeretur principio, quatenus motum excitant rapidissimum, sed si effectus consideretur, non minus Viscidi fient causæ. Ab Ira & terrore enim in motum concitatiores spiritus, cursum accelerant, in alia dum incidunt corpora, ob resistantiam resiliunt, unde Convulsiones, cum his turbata sanguinis mixtio, quia particulae ob vehementem illam alterationem à suo quasi moventur centro; exploduntur etiam extra Corporis spheram & imminuuntur, quare serosæ & terreae in sanguine magis concreescunt & pituitam constituunt. Sic è Terrore Virginem Variolas accepisse, in deliquium faminas conjectas esse, Excell. Pechlinus *Observat. Phys. Med.* 23. lib. 3. notavit; idem *eod. lib. obs.* 25. ex Ira plurimas morborum causas recenset, Epilepticos, Apoplecticos, Paralyticos inde derivans, ita ut in quacunque parte exæstuet Ira, post primos insultus, lentorem inducat.

§. 20.

Ad signa progredimur Diagnostica, illa scilicet tantum, quæ certo de Viscidi in Corpore humano existentia testantur, omissis plane his, quæ sordicam ejus causam minus accuratè explicant. Principalissima sunt, quæ de Spirituum aut sulphurearum particularum subjugatione, depravatione & defectu fidem dant; unde Tenor acti-

onum

onum animalium sentim & lentim remittit, inappetentia de vitiata Chylificatione, Corporis Marcor de Atrophia, Pulsuum debilitas & Lassitudo de sanguinistorpore, Asthma cum Cardiaca Passione de Respiratione læsa, Hypnoses seu Somnolentia de spirituum animalium in Cerebro turbatione, nos certos reddunt. Quod si maculae varii generis in superficie corporis efflorescant, Oculi earum Causam ex colore, magnitudine, figura & consistentia dignoscet; nec facile factor gravior è faucibus & Naso exurgens inflammationem mentitur, cum & præter hunc non raro alia adhuc signa adesse soleant, inflammationem in hac vel illa parte corporis denunciantia. Facies alias Hippocratica, Cutis color luridus, Oculorum Glaucoma, (ut nervis eorum è reciproco spirituum motu exagitatis objecta velut vaga adspiciantur;) Capitis Dolor gravativus, Artuum & Membrorum tremor, manus imprimis ad ictum perficiendum renitentes, Analosis totius, & quæcunque sunt his assimilanda, hominem Hypochondriaco -- Scorbuticum sistunt, ubi tamen & hoc notandum, quod, si plurimorum symptomatum in unum Coacervatorum fiat consideratio, Circumstantiæ morbi eò felicius explicentur.

§. 21.

De prognosi jam si ferre debeamus iudicium, profundæ se se offerent Cogitationes, nec absolutè aliquid de Viscido pronunciare licebit, nisi quod ejus vitio ut plurimum Chronici oriuntur morbi, qui tardo pede microcosmi sphaeram permeant, & lento extra illam gradu ducuntur. Qualis causa talis hic est effectus, Causa est tenax, effectus contumax i. e. non facile mobilis ad obsequium medicamentorum, unde prognosticum est dubium, præprimis, quia Spiritus quoque, de causæ participant malignitate, id quod, si suffocatio metuenda & Convulsiones adsint, difficilius adhuc evadet. Nullam ferè salutis spem Oedemata, si in Scirrhum & Abscessum abeant, promittunt, vid. Barbette *Chirurg. Pract. Part. 2. l. 1. c. 4.* In genere autem Obstructio in solidis, fluida simul afficit, unde corpus ab utraque parte vexatum sæpe desperat, quod in Apoplexia, Epilepsia aliisque hujus generis Affectibus observatur. Sed cum Viscidum ex accidenti multa comitentur symptomata, alium adhuc agnoscantia genitorem, meritò etiam ad ea attendentes, de eventu vel felici vel

infelici judicari poterit. Quatuor verò functiones in Corpore humano si considerentur, ut sunt Spirituum actiones, Respirationis negotium, Ventriculi Concoctio & distributio, Evacuationes tandem omnes, prout imminutæ vel læsæ observantur, haud difficile erit prælagium.

§. 22.

Ad curam nunc properamus, quæ è triplici fonte, Therapeutico, Chirurgico & Diætetico erit petenda, quâ mediante infensissimus sanitatis hostis, Viscidum, debellari debet; ejiciendum est è Machina spiranti ac viventi humana, ne Automatum turbetur motus, sed ut inungantur Axes, foveantur & reficiantur tum solidæ, tum fluidæ partes Corporis humani.

§. 23.

Ante omnia quisquis Curationis aggredietur opus, eò respiciet, ut Vias, si necesse sit, expurget primas; in his enim Viscidum latens non tantum in sua sede molestias creat, sed etiam Medicamentorum resistit effectui, Medici operam eludit, & vias ad sanguinem præcludit; Vicissim Non rarò sublatâ è Ventriculo & Intestinis hac minera, præcavetur, ne in deterius malum corpus incidat. Ergò evacuari debet corpus, & quidem duplici modo hic actus peragitur, sive per Os, sive per alvum; ille per Emetica, ut sunt *Mercurius Vita*, *Tartarus Emeticus*, *Infusum Vitri Antimonii*, seu *Reguli Antimonii* & alia, pro variâ formâ & dosi convenientia; hic per purgantia præparata è *sol. f. nna*, *Rhabarbaro*, *Jalappa*, *Cassia fistulari*, *Resinis* purgantibus, *Scammonii*, *Jalappa* &c, fit, inter quæ, quantum crassam inprimis Alvi Obstructionem attinet, Clysteres Carminantes cum Emollientibus obtinent locum, quibus non minus purgantia immiscenda censeo; præmitti autem solent & debent Digestiva, inter quæ Salia lixiviosa & enixa, ut *Arcanum duplicatum*, item *Tartarus Vitriolatus* commendari solent, & *liquor Terræ foliatæ Tartari*, qui majori pollebit Vi, si ipsi *Spiritus Cinamomi* addatur; Inprimis autem Volatilia in Viscido, maximum digerendo, absolvunt punctum, hinc *sal Volatile Cornu Cervi*, aut *ejus Spiritus*, aut *Liquor C. C. succinatus*, aut salia Volatilia Oleosa conveniunt, & quæ incidendi simul ac resolvendi vi prædita sunt quæliagumata nonnulla existunt, inprimis si ex illis Oleosum Volatile accedente

dente Sale Volatili paretur; incidentia porrò adhuc sunt: Decocta Lignorum è ligno Guajaco, ejusque Corticibus, *sassafras*, Lig. Juniperini, R. *sarsaparil.* R. *China*, *Enula*, herbis quoque incidentibus, *Melissa*, *Rorismarini*, *salvia*, *serpelli* &c. parata. Adduntur pro Circumstantiarum ratione *Veronica*, *Chamedrios*, semina Carminativa & plura; huic scopo ulterius etiam diluentia inserviunt, ut viscidæ particulæ cò melius disjungi queant, ob rationem in §. Vto indigitatam; hinc nec Potus Aquæ calidæ dissuadendus, nec Thee & Coffee infusum ob egregium, quo partim gaudet, Sal volatile, prohibendum; emollit enim simul & acrimoniam obtundit, unde à potu Coffee, Mulieres in Menstrui viscidæ & nigri fluxu difficili, magnum expectant præsidium, quibus continuato Ulu digestiva, præprimis volatilia propinari possunt, ut attenuetur & resolvatur Visciditas. Si vero Acidum seu Austerum adesse sentias, Chalybeata sive Martialia conveniunt, in Morbis præprimis Chronicis & qui Cachexiam minantur; sed absit Tinct. Martis acido quodam Menstruo parata.

§. 24.

Ab his itaque ad Bezoardica, Alexiteria, Antidota, spirituosæ seu sulphurea & Balsamica confugimus, quæ destruunt Viscidum in sanguine depositum; prævum quod adest mialma mitigatur per Paregorica & Anodyna, Peregrinum supprimunt ætherem & laudabiliorem advehunt Cardiaca, Theriacalia scilicet & omnia illa Medicamenta, quæ à natura & arte majorem acceperunt perfectionem, quæ magis disposita pro æthere sanguini nostro in statu naturali convenientissimo recipiendo, existunt. Jam si illud obtinuerimus, ut Viscidum in minimas particulas disruptum, resolutum & attenuatum sit, ad vias in ambitu Corporis respiciendum erit, quæ si occlusæ, per diaphoretica, ex *Antimonio ejusque Regulo præparata*, *Cinnabarina* (disrumpendi, edulcorandi & aperiendi vim habentia,) Diuretica quoque & sudorifera alia, ut hic simul materia peccans eliminetur, succurrimus.

§. 25.

Quod si Viscidum in duritiem lapideam concre scat, ut in Renibus & vesica, antinephritica & Lithon triptica, aliis calculum frangentia, sed perperam, dicta, conveniunt; sunt vero illa, jun-

perina, Therebinthinata, *Bacc. Cynosbat. sm. Dauri, Lap. Judæus, sal succini* &c. quæ & in præservatione non minorem habent usum; sed qui de his plura desiderat, Præricos adeat, & inveniet cumulum plurimorum medicamentorum. Si in Articulis & Ossibus Tumores lapidescentes quasi, ut Tophi & Nodi deprehendantur, interne jam commendata non sine successu equeidem exhibentur, sed nondum dissolvunt, nec ulla speranda ex voto emollicitio, quancquam ab impositis mercurialibus non levis quandoque notetur effectus, & Barbette in *Prax. Chirurg. part. 3. lib. 5. cap. 3.* Emplastra etiam è Gummatibus, Antimonio, succis, non omisso tamen Mercurio, præparata, laudet. Exacta autem Curatio pro loci & circumstantiarum ratione haud obtinebitur, nisi spontè excidant, ut in Podagricis quandoque notatur, per manus Chirurgicas si excindantur.

§. 26.

Sed postulabit adhuc Necessitas, ut unumquodque symptoma morbo conjunctum probe perspectum habeamus; non raro quippe Salia in partibus affectis prædominantur, hinc illa corrigenda per diluentia superius commendata, & dissolventia, ubi Antiscorbutica omnem ferè Operam facient, Si verò Salia acida magis sint, præcipitantia, & absorbentia, ex gr. *Ocul. Canc. alcoholis. C. C. f. igne, C. C. ustum, Mater perlarum, Limatura Chalybis crud. alcoholis.* & alia, Salia præterea Volatilia oleosa, item *Essentia Castorei cum sp. salis Ammoniaci* parata, (quæ magni quoque usus in affectibus nervorum est,) myrrhata Opiatis maritata, camphorata &c. conducunt. Quoad Externa, Balnea, fontes medicati & Thermæ, tum naturales, tum artificiales (de quibus Excell. Major peculiarem conscripsit Dissertationem,) ægrotis haud dissuadenda, siquidem ratione virtutis resolventis, non tamen Medicamentorum neglecto usu, plurimum valent. Affectus autem cutanei per Unguenta, linimenta & emplastra, in quibus gumata resolventia basin habent, tolluntur, ita, ut in Callis, Tumoribus Scirrhis & Caseosis non sint contemnenda; in Abscessibus & Ulceribus præter Consilia Medica, si Chirurgi advocentur, discutientia, emollientia & suppurantia negotium præstant suum,

§. 27.

§. 27.

Plurimorum sic vidimus Medicamentorum, secundum qualitates suas expositorum Elenchum, Acida tamen in Morbo à Viscido oriundo planè omisimus, sed quo jure? (Cum toto die in Praxi observetur; quod acidiuscula præscribantur; *Syrupus etiam limonum, Citri, Ribium, Granatorum, Spiritus quoque minerales, &c.* magnum auxilium in Febribus stomachicis & Intestinalibus, in quibus viscidum revera causa peccans existit,) habeant; ut indicarem scilicet non propter Viscidum corrigendum, sed potius febrilem calorem mitigandum, adhiberi, si vero cum Volatili temporetur Acidum ejusmodi blandum, ex gr. *Clyssus Antimonii cum Essentiis*, quæ subtilioribus abundant particulis, in certis casibus magni, sunt usus, hinc *Tinctura bezoardica, Mixtura simplex &c.* decantata sunt remedia in Asthmate & Tussi molestâ, in quâ *Oxyfacherum vel Oxymel* simul laudantur. Et denique in quem finem Acidulæ Arthriticis & Scorbuticis recommendantur? nullam sane aliam ob causam, quam quod resolvendi & digerendi scateant Virtutibus, de quibus multa dici possent, sed cum brevitati sit studendum hæc transimus.

§. 28.

Ex fonte Chirurgico inter Remedia Venæ Sectio consideranda venit, quam in morbis à Viscido oriundis non rejicere possumus, nisi dissuadeat ratio, non determinanda, sed judicio Medici potius relinqvenda; Cucurbitulæ cum & sine scarificatione applicatæ, à multis rejiciuntur, quod subtiliores sanguinis particulas è Capillaribus extrahant Vasis, crassiores vero intactas relinqvant; fonticulorum & Vesicatoriorum Usus à paucissimis approbatur, nec molestissima setacea; Valent tamen præter Venæsectionem Operationes adhuc aliæ Chirurgicæ, si Tumores scirrhusi in Cancrum degenerantes, aliqve inflammatorii Corpus afficiant, nec Calli, Nodi, Exulcerationes etiam Chirurghi fugiunt Operam.

§. 29.

Ultimo ad fontem Diæteticum, è quo saluberrima expectanda sunt auxilia descendimus, & quemadmodum Res sex non -- naturales in tractatione de causis remotis, summe noxias accusavimus, sic jam contrariam pro iisdem hic sententiam fovemus, ita quidem ut jure
etiam

etiam aliud mererentur nomen illo dignius ; sed perinde sit quomodo vocentur, sufficit, quod si legitimo se habeant modo, prosint sanitati. Aer itaque si existat purus, nullis inquinamentis refertus, temperatus, & particulis subtilioribus balsamicis justo tenore motis imprægnatus, saluberrimus est & medicamentosus, idoque corrigit & attenuat. Inter Cibus & Potum ea quæ tenuiorum sunt partium commendamus, quæ facilius sunt concoctionis & Volatilifari queunt, ad Exemplum Conditorum, Aromatizantium & quæ balsamicarum sunt Virtutum. Potum bene coctum, limpidum, & subtiliores spirantem particulas, Vinum etiam ex uvis maturatis haud dissuademus. Somnum & Vigiliæ, Motum & quietem quod concernit, sicut lædere, ita & proficere possunt, si Legi naturæ accommodentur, somnus tamen & Quies ratione Viscidi magis quam Vigiliæ & motus vitentur ; Excreta & Retenta naturalem suum habeant Terminum, & punctum Excretionis ordinarium attendatur ; Animus non facile turbetur, ad contrarium rerum Eventum non moveatur, ita se gerat, *ut in firmo & constante sit propositio ea omnia faciendi, quæ sana ratio ipsi suadet, nec passionibus suis aut appetitibus ab hoc abduci se permittat*, ad monitum Perspicacissimi Cartesii Epistol. part. 1^a Epist. 4. cum quo & Dissertationi huic, quæ non nisi distractis meditationibus ob nimiam temporis angustiam delineari verius, quam elaborari potuit, colophonem imponimus, canentes.

SUMMO MEDICO
JESU CHRISTO GLORIAM.

